HUGO DE SANCTO VICTORE
Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35481
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



lios descendere putauerunt. quo non solum carnem. sed animam quoque extraduce esse materia credidertur. Sicut enim in generatione prolis de carne paterna substantialiter caro trahitur. ita et de gignentis anima. anima geniti essentialiter deduci ab his estimatur. Propter quod sicut de corrupta carne caro corrupta seminatur. ita et de anima peccatrice anima peccatrix corruptione originali infecta trahitur. Quod anima non sit extraduce.

xxx. His autem quidam doctorum hinc inde rationes multas et auctoritates opposuisse inueniuntur. quibus non animam sed solam carnem extraduce esse astruere conati sunt. Et hec quidem ratio prima est. quod spirituali naturae non conuenit. neque ex materia esse. quo essentialiter simplex est. sed neque materiam esse. quo in unitatis sue simplicitate indiuidue semper consistens. augeri vel multiplicari omnino non potest. Simplex enim natura propagationem non facit. vel ad id quod propagandum est. a quo propagandum est pars sumi non potest. vel totum transierit. Quod ergo unum est inter duo si totum transierit. nichil ex eo remanet illi a quo est. si autem totum permanet. nichil confertur illi ad quod est.

Si igitur anima ex anima gignitur. sicut caro ex carne. dicant quomodo illa simplex substantia aut tota in gignente remaneat si in genitum transierit. aut tota in genitum transeat. si in gignente remanserit. Nisi forte omnes animas consubstantiales dicere uelint. et illam naturam simplicem in propagatione filiorum personaliter quidem multiplicari. sed essentialiter non diuidi. non attendentes quanta inconuenientia hanc assertionem sequatur. si una et eadem substantia essentia simul beatitudini et damnationi glorie et pene addicta credatur. Postremo cum dicat auctoritas. reuertatur puluis in terram de qua sumptus est. et spiritus redeat ad dominum qui dedit illum. manifeste ostenditur quia non spiritus de spiritu. sed caro de carne materialiter transducatur. Quamuis enim nostra corpora primo loco